Morbi epidemii brevis descriptio et curatio per diaphoresin / [Johannes de Gorter].

Contributors

Gorter, Johannes de, 1689-1762

Publication/Creation

Harderovici, W. Brinkink, 1733.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/a6kq3bek

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

MORBI EPIDEMII
Brevis
DESCRIPTIO ET CURATIO
Per
DIAPHORESIN.

AUCTORE
JOHANNE DE GORTER
A: L: M: Medicinæ Doctore & Professore Ordinario.

HARDEROVICI.
Apud GULIELMUM BRINKINK, Typ. & Bibliopolam. M. D. C. C. XXXIII.

1733

25,106

Auctor nulla agnoſcit exemplaria, niſi quæ ſua manu proprium nomen adſcriptum habent.

LECTORI

S.

Cum in principio hujus Conſtitutionis Epidemiæ medicamenta, quæ in ſimilibus morbis ſporadicis adhiberi ſolent, experiebar nihil prodeſſe, hominesque miſere & diu agitari antequam priſtinam recuperarunt ſanitatem, multosque perire, operæ pretium duxi otium, quod deſtinaveram parti alteræ Compendii medicinæ, quæ materiem medicam viresque generales medicamentorum continebit, his paucis interrumpere, ratus me magis inſervire Bono Publico, tradens morbi hiſtoriam & curationem, qui adhuc multis in locis viget & methodo incerta pertractatur, quam ut petitioni amicorum maturam hujus partis editionem a me exigentium, obtemperarem: hæc enim deſcriptio, ſi unquam, hoc tempore erat in lucem emittenda. Sedulo itaque, quæ legendo ex variis morborum epidemicorum hiſtoriis colligere potui, examinavi, cum præſenti conſtitutione comparavi; tandem obſervando, ratiocinando

nando & experiendo, in eam incidi methodum, quæ morbi materiem per Insensibilem Perspirationem educit : de qua evacuatione pauci cogitant, utpote minus cognita & descripta ab auctoribus. Hinc, & quoniam in hac Constitutione experiebar multum valere hanc methodum, aliis quoque hoc opportuno tempore revelare volui. Satius fuisset si in principio Constitutionis edita esset, sed quia tunc non satis per praxin erat mea methodus comprobata, neque tempus sufficiens omnia perpendendi, in hoc usque tempus hanc editionem differre debui.

MORBI

MORBI EPIDEMII

Hoc tempore Regnantis

BREVIS DESCRIPTIO

ET

CURATIO.

Morborum Epidemiorum causam inperscrutabilem esse medicorum nemo inficiatur, & eorum facile princeps Sydenham non erubescit fateri in constitutionis principio unum alterumve ægrum vitâ periclitari, antequam ad rectam & certam medendi methodum pervenerit: ita abscondita & varia est horum Morborum causa, ut vel perspicacissimos tam medicos quam physicos lateat, &, quamvis constitutionis præsentis naturam investigati fuerint, si iterum alia nascatur nova, omnino hallucinentur: frustra pervolvimus igitur auctores de Morbis epidemiis agentibus, cum medendi

methodus, quæ istis optime successit, ægrisque summum attulit juvamen in præsenti constitutione quandoque obsit. Quare in omni nova constitutione epidemia, etiam a prudentissimis medicis, quidam periclitantur ægri, nisi quadam ratione vel casu in debitam methodum medendi inciderit medicus: neque huic succurrere possumus, nisi, sæviente morbo eo epidemio, quis methodum invenerit eamque Reipublicæ sacram faciat: si enim finita constitutione revelat eam, nimis sero venit. Existimavi igitur, quia hodie regnat Constitutio talis Epidemia, utile fore & medicis & ægris, meam qualemque methodum, ad medicorum commodum & ægrorum salutem publici juris facere, ut multis decumbentibus succurrerem, facemque accenderem in praxi minus versatis, & expertissimos instigarem, si quid boni in arte invenerint, in salutem Reipublicæ divulgent, minime sibi servent, ut moris est, lucri & avaritiæ ergo.

Dum hac hyeme præmature gelu steterat aqua, & ab eo tempore, quando solebamus maximum observare frigus, aer fuit humidus, cœnosus, nubilosus & præter consuetudinem calidus, per totam fere Europam, *Morbus* qui ex symptomatibus *Catarrhosus* posset vocari, natus est, paucis hominibus parcens, multosque opprimens non solum in nostris, verum etiam in exteris regionibus: ex quibus hujus morbi causam certo scimus fuisse universalem, neque ex victu, neque potu, neque alio vivendi genere deduci potuisse, sed causam aëris malignitati adscribendam esse, quem omnes haurimus, nos omnes ambit, etiam in locis absconditis degentes.

Aeri

Aeri hanc causam adscribendam esse comprobat quoque morbi indoles locaque affecta: pulmo enim in omnibus, partesque reliquæ spirabiles ab hoc morbo maxime affectæ fuere, quas attingit aer nudus, & in quas præprimis suas exercet operationes. Hæc aeris malignitas quæri potest; vel in ejus qualitate manifesta, quemadmodum vocant medici, ut in humiditate, siccitate, calore, & frigiditate; vel in quadam occulta natura, quod quædam miasmata maligna Aeri mista a nobis inspirata hos morbos produxissent,

Non necesse est ad producendos Epidemios morbos aer sit semper venenatis infectionibus inquinatus, si enim sola sua humiditate exhalationes inutilium humorum sistat, id retentum, præprimis si diu retineatur, in magnum morbum sæpe præcipitare facit hominem; inde toties ab aere humido & frigido sine ulla maligna infectione generantur gravedines, tusses, catarrhi; inde ab aere calido & humido putredines frequentes: si talis sensibilis mutatio excellit multi homines eodem corripiuntur morbo, qui tunc Epidemius dicitur, non ex maligna aeris qualitate, sed ex materia nostri corporis vel retenta vel corrupta.

Non inficior malignas exhalationes aeri puro mistas, sive quod vapores e terra elevati boni, diu cum aere circumducti, tandem vel aeris humiditate vel calore corrumpantur, sive quod ita maligni e terra exhalent, nostrum corpus afficere non posse, cum non solum aerem purum, sed etiam miasmata hæc tenuissima, quæ facile poros seu oscula minima vasorum absorbentium intrant, inspiremus: Si tamen sententia ferenda esset, vix credibile videtur a maligna aeris infectione provenire, quæ alicubi ex terra exhalascet; tunc enim magis

certo loco hic morbus esset affixus, nondum multas regiones simul occupasset: sed ut mihi videtur, vel sola inconsueta aeris caliditas & humiditas per multas regiones simul hujus morbi causa fuit, ex qua indole vel corpuscula volatilia semper aeri mista corrupta fuere, vel materia insensibilis perspirationis nostri corporis plus solito retenta & dein corrupta horum morborum causa statuenda videtur. Sit ut sit, sive cum aere inspiremus id acre, sive materia insensibilis perspirationis retenta in nobis acris sit facta ab aere humido & tepido, causa morborum tenuis est & subtilis, atque sui generis, quæ ad curationem suam requirit vel emendationem vel expulsionem.

Aerem humidum laxare solida & materiam, quæ sub insensibili forma continua emanat e cute, minus auferre, nemo est qui dubitare potest, hygroscopia enim docent corpora in aere humido humiditatem in se trahere, & ex staticis scimus in aere humido hominum corpora minus perspirare, cum eorum augeatur pondus sine majore ingestionis copia. Materia hæc retenta, quia corpori inutilis, est enim de humoribus, qui functis muneribus, ad cutim pelluntur ut ibidem evacuarentur, sanis iterum assimulari nequit, quare quo diutius retinetur, eo magis a benigna sua indole recedit, ut fieri vidimus in omnibus excernendis humoribus si retineantur. Hic humor subtilis, nam crassiores invisibiliter per exilissima cutis spiracula evolare non potuissent, per minimos tranat canaliculos: quare non opus contineatur in vasis cruentis arteriosis & venosis, sed & lymphatica & nervos obambulat: ita hæc materia alienata multis modis nobis insidiatur, variasque partes aggreditur, plerumque sub

Catar-

Catarrhorum forma quos etiam *Destillationes* vocant, mira perreptat loca.

In hac præsenti Constitutione, sive miasmata cum aere inspirata, sive ex materia Perspirabili retenta & corrupta, generata fuerint, pulmonibus maxime infesta observantur, inducentia difficilem respirationem, tussim, anxietatem, dolorem pectoris fere pleuriticum in multis; in aliis vero ipsum caput aggrediuntur, ita ut sæpe homines in leve delirium vel vigilias diuturniores vel sopores adigantur: in omnibus gravedinem & pectoris oppletionem cum quadam febricula, producunt in principio, quæ progrediente morbo sensim magis intenditur & maligna fit, nam minus vehementia apparent symptomata, quam in febre inflammatoria adesse solent, dum tamen majus subsit periculi; in quibusdam statim quoque satis vehemens accedit febris, multitudinem infectionis materiæ denotans, qui homines inde periculosius decumbunt: nam venæ sectione non ita febris orgasmus temperatur, quam in febribus ardentibus, sanquisque eductus minorem in superficie format cuticulam inflammatoriam, quare excandescentia febris in his magis ab irritatione hujus materiæ acris est deducenda, quam ex vera phlogistica causa; si enim satis mature vel educatur vel exstinguatur hæc materia irritans sine ullo medicamento antiphlogistico, vix ulla commotio febrilis apparuit, & brevi tempore phlegmata pulmonum, ex naturali humoris mucilaginosi latera bronchiorum obtegentis tenacitate nata, his miasmatis impræegnata, sub sputi forma ejecta sunt, Quamdiu vero particulæ hæ tenues, semivolatiles, acres, viscido bronchiorum, in lacunis asperæ arteriæ & ventriculis laryngis sub epi-

glottide, intricatæ hærent, has partes ſtimulant & irritant, unde tuſſis inevitabilis, & confluxus humoris copioſior ad loca ſtimulata, ſeu copioſior hujus muci ſecretio, quo liber aeris tranſitus inhibetur in bronchia uſque ad pulmonum veſiculas, tam diu durans, donec hoc acre cum omni ſuo coarcente muco eductum ſit: ſi vero ſatis valida ſimul exciretur febris humores inſpiſſans, tanta eſt in hoc ſputo tenacitas, ut a lateribus aſperæ arteriæ ex lacunis & ventriculis laryngis evelli nequeat, atque ita hominem diu & miſere fatigat antequam unicum phlegma expectorare valeat.

Maſſa reliqua humorum ſana dein ab inquinante humore hoc inficitur, & turbata circulatione agitata in alienam prompte degenerat indolem, &, quantum ex ſymptomatibus patuit, magis in putredinem prona videtur, quam in phogiſticam diatheſin: etiamſi ſitis intenſa, & in quibusdam lingua nigra Inflammatoriam diſpoſitionem arguere videbantur, quæ etiam in febribus putridis obſervantur, cetera vero, ut pulſus debilior, vires proſtratæ, minus levamen ex ſanguinis miſſione, calor non ita urens quam mordax putredinis præſentiam comprobarunt.

Sed quia in omnibus maxima pars malignitatis in ſucco aſperæ arteriæ & menbranæ pituitariæ latitavit, dein per reliquum corpus magis diſpergebatur, cogimus fateri ſpecialem hic fuiſſe in humoribus corruptelam, quæ facilius ab hoc quam alio ſucco recipi, foveri & retineri potuit. Tale quid non eſt inſolitum in nobis obſervare. nonne in præcedenti morbo peſtilentali ruminantibus viſcera chylopoietica præ omnibus aliis infecta fuere? nonne ſcabioſæ, herpeticæ, variolo-

ſæ

ſæ materiæ virus in cutim deponit? nonne virus luis venereæ pinguedini & medullæ maxime infeſtum? nonne podagræ materia præprimis petit articulos, dum arthritica parum a præcedenti diſcrepans medios magis artus occupet? quis novit omnium horum reddere rationem? contenti eſſe debemus talia videre, ſed ſedulo indagandum, quali medendi methodo quibusque medicamentis appropriatis inveſtigatam cauſam vel ſubigere vel educere poſſumus.

Ut Indicatio Curativa formetur in hac conſtitutione, repetendum eſt morbi materiem tenuem eſſe; nam ſive nata ſit ex materia perſpirabili retenta & corrupta, ſive cum aere a nobis recepta ſit per pulmones, vel per cutaneos poros, de ejus tenuitate nemo dubitare poterit tempore infectionis: quod autem phlegmata tenacia poſtea producat, hoc non arguit ipſius materiæ craſſitudinem, ſed quod proritavit organa mucum ſecernentia, vel induxit ſuo irritamento talem circulationem, quæ deinceps glutinoſos humores generat. Obſervandum quoque experientia conſtare hanc materiem vi vitæ difficulter ſubigi aut expelli potuiſſe, quo enim major poſt ſusceptionem accendebatur febris, eo quoque magis ſæviebant ſymptomata, non ſolum in pectore & pulmonibus, ſed etiam in capite & reliquis partibus; neque potuiſſe mucilaginoſis mollibus & pectoralibus ita obtegi, ut fieret innocua: per experientiam enim didici, cuncta pectoralia ex radice Graminis, Glycyrrizæ, Althææ, herba Tuſſilaginis Malvæ, Violæ, floribus Papaveris rheados, nihil levaminis ægris attuliſſe, imo ex eorum uſu magis tuſſire ſine phlegmatis expectoratione.

Hæc mecum reputans hanc mihi formavi indicationem

curativam,

curativam, primo quoniam materia erat tenuis & volatilis, omnium optime per Insensibilem perspirationem educi posse: dein quia intricata hærebat in multa viscidiitate nostricorporis, eam esse solvendam, ut recepta materia educi posset. Inquisivi dein medicamenta, quæ huic Indicationi adimplere possent, quæ nempe largiorem perspirationem faciebant, resolvebant mucilaginem, & tamen non magnum calorem excitabant.

Nullum potui his indicationibus aptius invenire medicamentum, quam est *Spiritus salis Ammoniaci extemporaneus*, qui paratur ex sale Ammoniaco in aqua soluto & filtrato, atque liquore aliquo alcalino, ex sale Tartari, Absinthii, Cardui benedicti, &c: inter se post liquationem mistis, larga aquæ alicujus destillatæ quantitate dilutis & temperatis: sed quia talis spiritus non ubique prostat, dictos sales præscribebam aqua destillata diluendos. Hoc medicamentum candide fateor certius curavit Tussim & Catarrhos, quam olim Peruvianus cortex febres intermittentes: an vero ut Antidotum extinxerit Catarrhi materiem asserere non audeo, interim tamen ita lenivit tussim, ut non obscure tale quid ab hoc medicamento præstari videretur: & quia statim post ejus usum phlegmata copiosius & facilius emittebantur.

Si a principio vocabar vix ultra drachmas duas horum commistorum salium partitis vicibus assumpserunt intra biduum, quin liberati erant a Catarrho & Tussi: quibus vero protinus aderat febris calida, pectoris & capitis dolor, cum non obscuris futuri delirii signa, iuhis prolongabatur morbus ad unam vel alteram hebdomadem, & inde majorem quantitatem hujus spiritus extemporanei propinare debui, simulque semel aut bis

bis ſanguinem mittere, ut verſus caput impetus minueretur. Adjeci inſuper ad hunc motum infrænandum præcedenti Julapio ex hoc ſpiritu cum aqua v: g: Hyſſopi, Scabioſæ, aliquid anodynum ex Laudano Liquido vel Syrupo Papaveris albi vel Diacodii. Si vero vel ex ſenectute vel corporis debilitate ſolito tardior mihi videbatur circulatio, quam ut poſſet per inſenſibilem Perſpirationem hæc educi materia, ſemidrachmam vel ℈ij radicis Contrayervæ Julapio unciarum ſex adjeci cum guttulis quatuor olei deſtillati Saſſafras in elæoſaccharum redactas: & ut Julapium, ex admiſto ſpiritu vel ſalibus his ingratum, ab ægris facilius poſſet capi aliquem ſyrupum addidi. Ita Liquore tenui & ægris non ingrato præter exſpectationem brevi tempore omnes meos ſanavi ægros.

Uſitatiſſima in hac Conſtitutione formula erat ſequens ℞. Aq: Pulegii, Hyſſopi, ana ℥iiij. ſalis Ammoniaci depurati, Abſinthii, ana ℈ij Rad: Contrayrvæ, Theriacæ ana ʒß Laudani Liquidi Sydenh: gutt: xx. ol: corticis Citri, Saſſafr: ana gtt: iiij. Sacchari albi ʒi. Syrup: Papaveris albi ℥j. M. Capiat omni hora ℥j. Si vero calor febrilis major aderat minuebam quantitatem calefacientium & tunc aliquid ſalis Prunellæ addidi; ſi vero motus languebat Aquam Theriacalem, Tincturam Croci, aliaque Diaphoretica calida huic Iulapio adjunxi.

Quibusdam quoque præſcripſi Apozema ex Hyſſopo, Scabioſa, Salvia, Veronica, Agrimonia, ligno Saſſafras, Glycyrrhiza, ſed ſi ſimul non propinaretur dictus ſpiritus ſeu ſal volatilis ammoniacalis, nullum ex hoc decocto levamen obſervare potui. Neque ex Spiritu ſalis Ammoniaci deſtillato, neque ex Sale velatili oleoſo Sylvii tam bonum vidi effectum, forſan quia ab his ſe-

paratus eſt ſal neuter, qui in deſtillatione non aſcendit, & in hoc morbo optimum eſt reſolvens ſine ſtimulo calido.

Etiamſi hoc medicamentum meis indicationibus videbatur reſpondere, in principio vero conſtitutionis nondum ſum auſus iſtud porrigere Ægris, veritus ſalia ſoluta titillationem inducerent & exaſperarent tuſſim: Sed frequentiori experientia edoctus, non ſolum in Ægris meæ curæ commiſſis, verum & aliorum medicorum, qui in hac Conſtitutione meum rogarunt conſilium, ex uſu hujus medicamenti nunquam exaſperari tuſſim, at phlegmata liberius & copioſius ſine multa tuſſi prodire, videns, intrepide poſtea hoc medicamentum liberius & frequentius exibui: neque poenituit factum, nam omnes, quos hac methodo tractavi, curati fuere, nullusque periit. Si cui hanc methodum amplecti libet, minime dubito, quin poterit eundum exſpectare effectum: ſimplex eſt & facilis, debet enim æger dumtaxat ſingulis diebus, partitis vicibus, ad drachmam unam vel alteram ſub forma varia aſſumere cum ſupra citatis cautelis. Si quis autem methodum hanc deſpiciat ob ſimplicitatem, ſcire debet præſtantiſſimas curationes Simplicibus abſolvi, raroque morbos curari medicamentis maxime compoſitis, vel ſumma Chemicorum induſtria elaboratis, qui ſimplicibus curari non potuere.

Non me quoque latet, ſi hoc mihi arcano ſervaſſem, aliisque medicamentis miſto, ſub quibus abſconditum tuto latere potuiſſit, multo majoris fuiſſet efficatiæ, ut fieri vidimus in arcanis, & celatis medicamentis, quæ quam primum divulgentur, eorum ſimul virtus evileſcit; & id quod inventori magnum attulit lucrum, poſtea nullius pretii habetur: verum bono Publico, cum

cum aliis in regionibus adhuc dominatur hic morbus, inſervire ſatius duxi quam proprio lucro.

Non neceſſe putavi multis morborum hiſtoriis veritatem curationis per hoc medicamentum comprobare, quum unicuique ſatis ſit cognitum, quam univerſalis hic fuit Morbus Endemius, & ſciſcitare poſſit tales multos quoque mihi oblatos fuiſſe ut iiscuram gererem, ſed hos ſi enumerare vellem ſine neceſſitate tempus tererem.

Majoris vero momenti videtur mihi reddere rationem, quæ me movit recedere a longo Eclegmatum & Decoctorum Pectoralium uſu in morbis pectoris, Tuſſi, Gravedine & Catarrhis in pulmones ut dicunt deſtillantibus hujus Conſtitutionis. Hoc ut expediam quaſdam movebo contra Mucilaginoſorum uſum difficultates, quæ me detinuerunt: dein conabor paucis probare noſtram methodum non ſolum reſpondere practicis obſervationibus, ſed & etiam ſubtilitate therotica probari poſſe.

Omnibus conſtat Eclegmata & Decocta pectoralia non attingere internam aſperæ arteriæ membranam, neque ingredi Laryngis ventriculos ſub epiglottide, ſed inſalutatis his partibus per oeſophagum deſcendere in ventriculum. Si ergo in Larynge vel in membrana pituitaria, quæ inveſtit narium foramina, ſinus Maxillares, Frontales & Ephippii, hæreat humor acris titillans, quæ mucilaginoſis eſſet obvolvendus, fruſtra ab his medicamentis, quæ has non attingunt partes dum deglutiuntur, exſpectamus lenimen: cum hæc ex infortunio has partes attingunt, tantum abeſt quod lenirent, ut potius tuſſim inducerent, quemadmodum

unusquisque expertus est, si aliquid, etiamsi sit mera aqua, in asperam arteriam inciderit.

Nihilo magis exspectare potest ab iisdem dum transeunt oesophagum, qui canalis est ab aspera arteria omnino distinctus; neque in ventriculo vel intestinis hærentia aliquid solaminis pulmonibus adducere possunt. Multi tamen existimant mollia & mucilaginosa a lacteis recepta, cum sanguine ad pulmones lata, egregie temperare, & obvolvere acre irritans in aspera arteria & membrana pituitaria. At vero mecum perpendeant, oscula lacteorum exilissima esse, nihilque transmittere quod glutinosum aut mucilaginosum est, quin debeat prius saponacitate humorum confluentium actioneque ventriculi & intestinorum ita attenuari, ut constituat humorem liquidissimum, qui dein affluente lympha e vasis lymphaticis per ductum thoracicum magis dilutum infunditur sanguini venoso. Nequit itaque mucilago illibatis viribus in sanguinem venire, ut ita tenacitate sua deinceps pulmonum acrimoniam obvolveret.

Instare quis posset, exuunt Mucilaginosa mollia suam naturam in primis viis, ut intrent lactea, verum in sanguinem si veniant, pristinam naturam recuperant & quasi regenerantur. Hi concedere debent id tunc præprimis fieri in vena subclavia, quum primo misceantur sanguini: sed hi quoque prævident facile parvam mucilaginosorum copiam lympha priori ita dilutam, nunc partitis vicibus exigua quantitate simul sanguini mistam, non posse amplius cohærere. Si tamen contra omnem rationem contendunt, particulas mucilaginosas in vena subclavia colligi, ut ita unitis viribus ferrerentur per ventriculum cordis dextrum versus pulmones,

mones. Ne quidem hoc sufficeret, nam ex vena pulmonali non fit mucilaginis asperæ arteriæ secretio, sed ex extremis arteriæ bronchialis, quæ aortæ vel intercostalibus debet originem. Imo vero si concederetur, potius pulmonum plexus inter arterias & venas pulmonales obstruerentur, quam ut adducta glutinosa per vasa excretoria, quæ semper minora vasis circulantibus, transudarent. Qui vero rejectis his omnibus luctatur futili ratione, mucilaginosa assumpta totam sanguinis massam temperare; is ignorare debet pulmonum actione omnia assumpta glutinosa eo usque attenuari, ut reliqua corporis vasa permeare queant, totamque suam exuere naturam, si modo transierint pulmones. Quis etiam esset tam inscius, qui putaret mucilaginosa toti sanguinis massæ mista, solas arterias bronchiales intrare, ut ibidem deponerentur? Has ob rationes me detinui ab usu decoctorum mucilaginosorum in præsenti Constitutione, quum neque ratione, neque experientia eorum usum probare potui. In multis etiam vidi ægris, qui talia assumpsere, me majori semper quantitate medicamenti uti debere ad curationem, quam si talia non fuissent ingesta tenacia.

Si respiciamus ad morbi causam, quæ tenuis & acris est, & quæ, quo diutius hæret, eo magis evehitur & acrior reddirur; nulla inde curationis indicatio, quæ suaderet mucilaginosa: scopus enim est vel corrigere vel educere: sed si addantur mucilaginosa, neque educitur, neque corrigitur, obvolvi tantum posset: hoc si obtineretur moram induceret medicamentum, & inde generaretur gravior morbus. Frustra quoque exspectant liberiorem expectorationem; phlegmara enim tenacia resolventibus absterguntur, minusque cohærentia ad

latera aſperæ arteriæ fiunt, ut facilius dein educantur: ſed hoc neutiquam a mucilaginoſis eſt exſpectandum, quæ potius homores tenues admiſtione ſua eo uſque inceraſſarent & tenacia facerent, ut deinceps lateribus magis adhærerent.

Ita ſi ſedulo perſcrutemur medicamentorum virtutes, multa invenimus inania, ptæpoſtera & ridicula, quæ tamen auctoritate auctorum obcæcati ſequimur, non perpendentes quid ipſi vidimus in praxi, quid nos docet ſana ratio., quaſi piaculum eſſet recedere ab uſu recepto, quamvis perpetuo infelicem in praxi obſervamus effectum. Veneror quoque vetuſtatem ob multa præclara inventa, ſed quia hoc ſeculo multa in Anatomicis, multa in Chemicis, multaque in Phyſicis detecta ſunt, quæ veteribus fuere incognita, ex quibus certiori ratione medicamentorum vires eruere valemus, & laboribus veterum ſimul fruamur, minori labore ad majorem certitudinem pervenire poſſumus.

Antequam claram noſtræ methodi in hac Conſtitutione proferre cognitionem valemus, quædam præmittenda, ex quibus tanquam principiis hæc deducitur methodus. Ex Phyſiologicis aſſumendum, inter fibrillas nervorum inveniri liquorem gelatinoſum, lubricationi, humectationi & nutritioni forſan fibrillarum nervoſarum deſtinatum, ex arteriis, quibus integumenta membranoſa cerebri & nervorum ſcatent ſecretum, qui dein functo munere a ſociis venis in iiſdem capſulis abſorbetur pro maxima parte in itinere: ſed, quando in organum intrat nervus, quoniam tunc ſemper extimam tunicam exuit, ſolæque fibræ, vel per totam organi ſubſtantiam diſperguntur, vel in pulpam mollem aut papillas ſentientes deſinunt, hujus ſucci nervei retina-

cula

cula evanescunt; quare succo huic liber patet exitus, vel in cava corporis, vel vasa venosa lymphatica, vel in glandulas, ut reducatur ille humor, qui iterum præparandus est in priorem usum, vel exhalat per cutim. Dum enim in cutim desinit nervus, ab ejus involucris Reticulum Malpighii formatur, papillas sentientes per foramina ejus transmittens: si ergo liquor erat capsulis nervorum coarcitus hic patulam inveniet viam ad latera scilicet papillarum. Nullum ergo pro hujus humoris evacuatione per cutim restat dubium, nisi quod ejus præsentia & motus probetur. Quoniam hic in in subtilissimis versamur, quæ oculis ne quidem armatis assequi possunt, probatio ex necessitate rei vel analogia sensibilium est deducenda. Si quis hunc negat disputandi modum, certe multa in nostro corpore fierent, quæ facile possent refutari. Nemo inficias ibit, qui limina demonstrationun anatomicarum salutavit, quin admittat involucra nervorum arteriis multis scateret, desinentibus in venas cruentas socias, arterias minores lymphaticas, atque vasa lateralia exhalantia, quæ succum suum a sanguine secretum fundunt in cavum capsulæ nervorum, hoc convenit communi legi circulationis per totum corpus: ex his itaque arteriarum extremitatibus seu potius arteriarum lymphaticarum perpetuo exhalat ille humor, qui inter nervorum fibrillas observatur; habetur itaque fons seu scaturigo ex quo hic humor venire potest. Objiciat forsan aliquis ex cavis fibrillarum nervosarum hunc potius effundi liquorem: sed hoc contrariatur naturali ordini in corpore nostro, quia tunc spiritus effunderentur in communem cavitatem antequam veniret ad organum, ubi vel motum, vel sensum exercere deberet. In hoc autem casu non

esse

esset lis de præsentia humoris, sed de origine. Humoris præsentia facile liquet ex sauciato vivi animalis nervo, magnum sæpe humoris copiam exstillante, qui vel ex cavis fibrillarum vel ex earum interstitiis fluere debet: sed hic exstillans liquor, quia gelatinosus, ex nervorum tubulis haud profluere potest, hoc enim non quadrat tenuitati spirituum, qui per canaliculos invisibiles a cerebro ad dissitas corporis partes ferri debent. Imo ipsa ratio dictitat hunc succum præsentem esse & provenire debere ex vasculis capsulæ nervi, invenimus enim fibras nervorum undique humidas, quod habere nequeunt ex cavitatulis suis spiritibus destinatis, quin simul periret spirituum actio ad motum & sensum, ad quæ integri requiruntur canaliculi a principio ad finem spiritus coarcentes.

Qui modo concipit hujus liquoris præsentiam, simul intelliget ex generali lege hunc humorem non stagnare posse, sed more aliorum humorum circumduci, consumi, evacuari & regenerari.

Credibile est per ora venarum ejusdem capsulæ, ut deponitur ab arteriis, recipi hunc liquorem & circulantibus misceri, maximam tamen partem cum nervis vehi ad ea loca, ubi fungitur munere suo nervus. Inde non obsure deducitur, cur glandulæ & cutis majore nervorum copia donantur quam musculus ejusdem molis, qui & sensum & motum simul exercet: videtur enim Omnipotentem Creatorem voluisse, ut ad has partes hic succus, absoluta nutritione & humectatione fibrillarum nervosarum, ferretur, vel ad evacuandum id quod inutile est, vel ad lymphæ permiscendum id, quod renovata pulmonis elaboratione usui adaptari posset,

Circulatio hujus humoris non potuit talis esse quemad-

quemadmodum depingitur in cavis fibrillarum ab origine ad exitum per singulares distinctos canaliculos: est enim nervorum capsula multis fibris nervosis communis vagina, adeo ut liquor tali capsula contentus, si eat & redeat ad varias corporis partes pervenire possit sine extravasatione ulla. Non obstat lex generalis pro itu & reditu hujus liquoris, quum capsulæ cavitas ob intus contentas nervorum fibras, a valvulis sepi nequeat.

Satisputo evictum nunc esse inter fibrillas nervorum succum seu liquorem inveniri a spiritibus destinctum, ex arteriis capsularum nervorum secretum, cui patet in cute, pulmone &c: exitus: probare ergo restat hunc humorem exhalare sub forma insensibilis perspirationis. Ad hoc asserendum recurro iterum ad generalem humorum cognitionem, nullum nempe humorem esse in toto nostro corpore, quin, si opus suum absolverit, pro parte inutilis reddatur, istudque inutile e corpore pellatur: hoc quoque admittere succo huic nulla mihi cognita est ratio quæ dissuadet, & haud credo ab aliquo in dubium vocari posse: istud inutile non erat permiscendum circulantibus humoribus, ut pulmo impenderet ulteriorem laborem ad hoc inutile præparandum, sed compendiosiore via per nervorum extremitates, e cute potuit evacuari. Inde tanta nobis ab insensibili perspiratione utilitas, auferens succum nervosum actione sua inutilem factum.

Arteriæ quoque per cutim, pulmones, asperam arteriam, fauces & pituitariam membranam dispersæ, ex lateribus suis minora vascula simili modo arteriosa inde arteriæ lymphaticæ dicta, emittunt, deposito sanguine rubro in venas; hæc ergo semper ob exilitatem liquorem sanguine tenuiorem recipiunt ex arteriis.

Ex his dein lymphaticis arteriosis & forsan adhuc tenuioribus, quia pellucida visum illudunt, emittuntur vasa exhalantia sine glanduloso organo, quæ altera est via, qua humor ille tenuis & acris hujus morbi Epidemii evacuari, & hujus exitus in naturali perspiratione prohiberi potest. sed vero si inquinans materia aeri mista, humoribus nostris est communicanda, id osculis venarum adscribendum; non satis enim constat per nervos absorptionem fieri.

Si ergo aer humidior & frigidior hujus humoris, vel ex nervis vel arteriis evacuationem inhibiat, quod præprimis in senibus observatur, quibus minor est vigor in fibris capsularum & arteriarum motu vitali, ut reliquæ nostri corporis partes, donatis, retentus humor excretioni insensibili destinatus, nobisque non amplius utilis, vel ibidem stagnat vel retropellitur. In utroque casu, si aliunde non evacuetur, semper post diuturniorem moram in nostro corpore morbum fovet, qui deinde erumpit, quando ob retentionem in malignam indolem evectus, coarcentia vasa adoritur; quod solenne est in humoribus omnibus evacuationi destinatis, si retineantur: hoc probat urina & alvi excrementa diutius retenta.

Quamdiu hic tenuis humor in nervis propriis suis capsulis coarcetur, nervorum loca oberrat, hoc est per varias ducitur corporis partes, ut est nervorum cursus varius: deinde a venulis capsularum receptus, circulantibus permistus, ineptus tamen manet præparationi, ducitur ad omnes corporis partes, sed præcipue eas, quæ ejus naturæ maxime conveniunt: &, ut nunc a posteriori patet, ad bronchia, asperam arteriam & membranam pituitariam, loca ex quibus perpetuo multus

tus humor exhalat: imo vero ad cerebri meninges, membranam pleuram, aliasque partes membranosas, quas sua acrimonia vellicat, instigat, magisque movere facit, adeout motu suo similem fere motum excitet ut in inflammatione, quæ tamen brevi post cessat, si hoc tenue & acre ablatum sit.

Nimis facilis & generalis quibusdam hæc videbitur Theoria, dum tantum depono hunc humorem istius esse naturæ, ut potius has quam alias partes occupet, & nos hoc tantum a posteriori scire: sed regero, nos adhuc minus cognoscere, cur purgans alvum ducit, etiamsi in venam injiciatur vel ventri inungatur? cur diureticum urinam movet? cur sialagogum salivam? cur sudoriferum sudorem? nonne hæc omnia & centena alia a posteriori per experimenta deteximus? nondum enim nobis liquet ex eorum medicamentorum structura vel partium figura deducere operationem; &, quamvis cognita esset figura, ulterius sciscitarer, cur talis figura magis hanc quam aliam partem peteret, adeo ut nunquam rogandi esset finis. Hinc videmus rationem nostram plus valere, quod liquor nervorum corruptus mavult nervos repetere, quia eorum est liquor proprius, quam quod affero ex dictis aliquod medicamentum certam facere evacuationem.

Ex dictis constare potest, materiem insensibibis perspirationis retentam, acriorem factam, tenuem, in pulmones & membranam pituitariam præcipue depositam, materie mucilaginosa harum partium naturali intricatam, stimulare has partes, quo major istius humoris mucilaginosi copia prolicitur, ut fit in omni stimulato organo secretorio, & motus tandem febrilis excitatur, hoc probant omnia phænomena hujus Constitutiones;

reſtat ergo inquirere, an medicamenta noſtra ad mali originem pervenire poſſint, & an valeant morbi materiem vel corrigere vel evacuare.

Medicamentum noſtrum ad partem læſam & morbi cauſam pervenire poſſe ex ſumma medicamenti tenuitate unicuique patere poteſt: cum nulla penetrantiora faciliusque ſolubilia occurrant, quam ſalia volatilia, miſcibilia non ſolum aquoſis, omnibusque liquoribus noſtri corporis, ſed quod magis, liquores ſalibus impræegnati fluidiores redduntur, & difficillime ab aqua ſeparari poſſunt ſales, niſi exhalatione, ſi ſal ſit fixus. Si verum fatear, quod ſentio, mihi videtur in noſtro corpore ſales aſſumptos vix pertingere ad inteſtina, ſed protinus in ore, oeſophago, & ventriculo a venis abſorberi, præprimis ſi volatiles ſunt: atque ita brevi tempore toti ſanguinis maſſæ miſceri, cumque ea circumduci, usque in capſulas nervorum ferri, & cum eo ſucco miſceri: hoc mihi probari videntur morbi nervorum ex cruditate hujus ſucci, nati, qui ſub hyſtericæ paſſionis, vel hypochondriacæ affectionis, & quandoque criſpationis vel oſcillationis titulo ab auctoribus citantur, cum a ſpiritu ammoniacali non nimis acri ſemper levamen percipiant. Ad hunc ſuccum perveniendum non longa utitur via natura, ex arteriarum extremitatibus enim ſine ullo glanduloſo organo hic deponitur liquor, & quia aquoſus facile ſecum ducit ſalem volatilem ammoniacalem, atque neutrum ex commiſtis his ſalibus: neque magis arteficioſa, vel intricata eſt via in pulmonis internam membranam, bronchia & aſperam arteriam veſtientem, liquorem ducens; arteriæ enim bronchiales, ex communi ſanguinis ſcaturigine, aortâ vel intercoſtali arteria, ſed patulis orificiis, quæ motui horum ſalium non interciperent, ſanguinem cum reliquis

quis humoribus recipientibus, ad has partes conducunt; ex quarum extremitatibus denique, cum ſecreto muco pulmonum & faucium, hi ſoluti ſales exire poſſunt.

Nulla itaque obſtat via, ob quam non poſſunt venire ſales hi volatiles & neutri ad partem affectam: neque veriſimile eſt his permiſtionem denegari, quum de natura ſunt ſaponacea, quæ non ſolum facile miſcentur, ſed etiam aliorum minus miſcibilium admiſtionem auxiliantur. Quod vero ſales volatiles cutim, pulmones, membranam pituitariam petant magis, quam partes alias, non caret ratione: volatilia enim ſemper aeris conſortium amant, ſi enim aeri exponantur tandem toti permiſcentur aeri, hoc eſt evolant, priorem relinquentes ſedem. Eſt ergo de natura horum ſalium peripheriam corporis petere aliasque partes, quas aer lambit, ut tandem exhalent & aeri permiſceantur.

Antequam exeunt, ſuo levi ſtimulo brevi evaneſcente, & ſaponacea indole, lentos humores ob defectum motus concretos reſolvunt; quare in tumoribus oedematoſis, fomentis, ſenicupiis & cataplaſmatibus admiſcetur ſpiritus ſalis ammoniacus cum incomparabili ſucceſſu, ſi talis humor eſt ſolvendus: hinc in bronchocele, hydrocele, angina aquoſa, tumoribusque oedematoſis vix ullum præſtantius invenitur, cum potens eſt medicamentum, ad ſolvendum id viſcidum, quod continebat acre intricatum.

Ita ex ſoluto viſcido ſponte ſua exhalare potuiſſet acre morbi Epidemii, ſed quaſi hoc non ſufficeret, ejus etiam exhalationem promovet: nam ſal ille volatilis ad peripheriam corporis tendens ſecum rapit hoc acre, ut fieri vidimus in ſublimationibus cum ſale ammoniaco,

quia ſal ille ſolus non elevetur, ſed ſimul tanquam alis ſuis alia fixiora in altum attollat & volatilia reddat: ita promovet inſenſibilem perſpirationem, educit morbo-ſum acre, glutinoſitatem & cruditatem ſucci nervoſi & muci incidit, reſolvit, & expellit, liberat hominem a viſcido, tenaci, & evacuat acre inquinans materiæ inſenſibilis perſpirationis retentæ, vel ex aere ſuſceptum.

Sed quoniam medicamenta vix ullum ſortiuntur in nobis effectum ſi non ducantur per motum vitalem in actum: inde ſæpe huic alia adjeci calefacientia diaphoretica, quæ ſuo ſtimulo majorem motum excitarent: nam ipſe hic ſpiritus magis refrigerare, hoc eſt minuere motum vitalem, videtur quam calefacere: nunquam enim ab hujus ſpiritus uſu majorem in corpore calorem aut acceleratam circulationem invenire potui, & Indiam Orientalem navigantes, ſi intolerabili ſolis ardore vexantur aliquid ſalis alcalini volatilis ingerunt, quo brevi poſt refrigerantur. quare ego in morbis chronicis, ſi langueant vires, tardiorque habeatur circulatio, nunquam hunc ſpiritum ſine calefaciente adjuncto propino; neque etiam in hac conſtitutione, niſi ſimul validior aderat circulatio & corporis calor in juvenili ætate. Hinc inanis ille timor eſt abjiciendus, quo putant ſpiritum hunc extemporaneum nimis excalefacere & irritare tuſſim, cum continua obſervatione experiar homines potius ex ejus uſu refrigerari & tuſſim leniri.

Ex his patet, noſtram methodum per inſenſibilem perſpirationem educendi morbi epidemii materiem, valere tam in theoreticis quam practicis; minime vero per pectoralia & mucilaginoſa hunc ita ſævientem morbum, utpote materia tenui volatili conſtantem, quæ mora

ulteriori

ulteriori per glutinosa inducta acrior redditur, & ab hujusmodi ingestis obtegi nequit, curari posse.

Reliqua aliarum Constitutionum Epidemiarum quæ huic non respondent recitare nolui, quia animus erat hunc solum morbum, non vero omnes Epidemios, describere, quod ab aliis satis præstitum est.

FINIS